







*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*







1778.

1. Trinius, Albertus: De indebitum solvente per igno-  
rantiam juris civiles ad indebiti conditionem ad-  
mittendo.

2. Haebertis, Carolus Fredericus: Theses inaugurales  
sistentes disquisitionem quaestorias: An eques S. R.  
I. immediatus praedictum collectabile, propterea,  
quod fuit synestia, a collectis questibus cavere  
possit?

3. Haebertis, Carolus Fredericus: De juris circa sacra  
jurisque sacrorum fundamento et derivatione.

1779.

1. De An; Adam Georgius Puchler: De donatione inter  
conjuges remuneratoria atque insinuatione valida

2. Trinius, Albertus Philippus: De exceptione liton-  
um respiratoris et vel delictoris fidejussoribus  
proficua.

3.

1779.

3. Hubertii, Franci Friderici: De mandato S. C. contra  
statum imperii subditis jura provinciali libertates sub  
specie regaliura retractentem et canera Imperiali  
sunt decernendo.

1780.

De Rosi, Julii Sergius Paulus: De testamento ob exheredationem sine elogio factum non ipso jure nullo.

1783.

\* Eisenhartii, Franci Friderici: Memoriam . . . Franci  
Friderici Eisenhartii . . . prorektor et senatus . . .  
virtus et posteritati commendat

2. Frickii, Albertus Philippus: De lacrimis juris Romani  
renovato juri Lubecensi adstantis.

1784

Oelze, Gottlob Sarschius, Fac. jur. decanus: ad audien-  
dam orationem: De divorsitate nobilitatis Romani-  
nae et Germanicae . . . invitata praesentia



disquisitione: quatenus socii ob sociale debitum  
in solidum teneantur?

1785.

1. Schmeubert, Rudras Tractatus: De analogia juris publici  
imperii in fortibus juris publici S. R. I. territoria  
tam non numeranda.
2. Soeldner, Smetas Ludovici: De hypothecis tacitis  
judicialibus seu registratis tam postponendis.

Handwritten text on the right edge of the page, likely a library or archival stamp, including the name "Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt".





DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS  
DE  
DONATIONE INTER CONIUGES  
REMUNERATORIA  
ABSQUE INSINUATIONE VALIDA

1779, 1  
1557

4

QVAM

ILLVSTRIS IURECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO

SVMMS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS

RITE CONSEQUENDIS

AD DIEM II OCTOB. MDCCLXXIX  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

IN IVLEO MAIORI

PUBLICAE DISQUISITIONI SVMMITIT

IVLIVS GEORGIVS PAVLLVS DV ROI  
BRNOVICENSIS

SOCIETATIS DVCAE TEVTONICAE HELMSTADIENSIS  
MEMBRVM HONORIS CAUSA ADSRIPTVM.

HELMSTADII

TYPIS VIDVAE B. P. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.



22

EXERCITIO IN ARITHMETICA

DOMINICUS MERTENS

RECTOR

ASSISTENS

IN ARITHMETICA

AVCTOR

DE MERTENS

IN ARITHMETICA

IN ARITHMETICA

IN ARITHMETICA

IN ARITHMETICA

IN ARITHMETICA

IN ARITHMETICA

IN ARITHMETICA

IN ARITHMETICA





ILLVSTRISSIMO  
EXCELLENTISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO  
DOMINO DOMINO  
JVLIO JVSTO  
DE FLOEGEN

SERENISSIMI DVICIS BRVNSVICENSIS AC LVNEBVRGENSIS  
REI PVBLICAE GERENDAE ADMINISTRO

ET

CONSILIARIO INTIMO  
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE  
CVRATORI SPLENDIDISSIMO  
COLLEGII CIVIVM SANITATIS CVRANDAE SVPREMI  
PRAESIDI GRAVISSIMO

RELIVVA

DOMINO SVO LONGE  
INDVLGENTISSIMO  
AETERNO PIETATIS CVLTV  
DEVENERANDO

HASCE  
QVALESCVNQVE STVDIORVM SVORVM  
PRIMITIAS  
SVMMA ANIMI DEMISSIONE  
SACRAS ESSE CVPIIT

ILLVSTRISSIMI IPSIVS NOMINIS

EVLTOR DEVOTISSIMVS

IVLIVS GEORGIVS PAVLLVS DV ROI.



---

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
DONATIONE INTER CONIVGES  
REMVNERATORIA  
ABSQVE INSINATIONE VALIDA.

---

*Introitus.*

**D**onationibus fortasse generi humano nihil iucundius,  
et in rerum natura nihil praestantius est atque po-  
tentius. Quod neque blanditiae, neque perfua-  
siones, neque oratoriae artes, neque amor, neque minae,  
neque ulla vis externa, id saepe dona efficiunt. Illa

*per medios ire satellites*

*Et pervumpere amant saxa, potentius*

*Idu fulminco a)*

Donationibus omnia fere obtineri possunt, amicitia, amor,  
favor, munera, dignitates honoresque. Ecquis facile eis  
resistit? Vel illum, quem alias

*Non civium ardor prava iubentium,*

*Non vultus instantis tyranni*

*Mente quatit solida b)*

A

dona-

a) HORATIVS *Carm. Lib. III. Od. 16.*

b) IDEM *Carm. Lib. III. Od. 3.*

❦ ❦ ❦

donationum aspectus labefacit, eisque succumbit. Quid? quod temporibus iam Romanorum saepius donationes in luxuriam, prodigalitatem et bonorum profusionem degeneravere, ita ut per eam integrae familiae ad incitas usque sint redactae. Quamvis de genio seculi nostri hoc adhuc non facile verendum sit, quo illud notum, *sumere potius est, quam dare*, magis magisque adoptari videtur. Qua in donationibus intemperantia moti legislatores Romani donationes ipsas certis terminis restrinxerunt. Quas inter restrictiones et ea est, quod donatio D. solidos excedens, iudicialiter insinuari debeat. Sed quaeritur, an haec constitutio omnia omnino donationum genera stringat, an quaedam sint exceptae, quae ab hac insinuationis necessitate immunes sunt? Acris praecipue inter Dd. agitata est lis, an donationes coniugum remuneratoriae iudiciali insinuatione egeant, an non? Vtriusque sententiae argumentis diu ponderatis non possum non eorum sententiae assentiri, qui nimirum in hisce donationibus insinuationem requiri negant. Et cum animum appulerim ad specimen aliquod studiorum meorum exhibendum, haec materia, quamvis perlustrato tam vasto legum volumine mihi tot illustrium materiarum multitudo in eligendo mentem ambiguum reddiderit, inter omnes disquisitioni ulteriori aptissima ac dignissima mihi visa est, tam ob suam gravitatem et in foro frequentem usum, quam quia iuris nostri interpretes eam breviter tantum attigerunt. Sequentibus ergo pagellis eam pro virium mearum exiguitate fusius exponere mihi proposui.

§. I.



§. I.

*De prohibita inter coniuges donatione in genere.*

Dum igitur ad differendum de donatione inter coniuges remuneratoria absque insinuatione valida inaugurali specimine ingenii vires periclitaturus accingor, operae pretium videtur imprimis, pauca quaedam de prohibitione donationum inter coniuges praemittere. Nulla apud Romanos lex exstabat, quae donationes inter virum et uxorem prohibebat, vid. SCIPIO GENTILIS *de Donationibus inter virum et uxorem*. Lib. I. c. 3. Sed moribus haec prohibitio recepta est, ut ULPIANVS in *l. 1. D. de donationib. inter vir. et uxor.* dicit: *Moribus apud nos receptum est, ne inter virum et uxorem donationes valerent*; et ANTONINVS eam maioribus tribuit in *l. 3. pr. D. eod. Maiores nostri inter virum et uxorem donationes prohibuerunt*. Maiores, quibus posteri opponuntur, generaliter appellari, qui ante nos vel ante aliquot secula fuerunt, neminem fugit; hinc non omnium, quae a maioribus constituta sunt, IULIANVS *l. 20. D. de legib.* rationem reddi posse, tradit. Sub moribus vero maiorum intelligitur ius ex voluntaria diuturnaue rerum similiter actarum et gestarum observatione et usurpatione ortum, tacitaque populi auctoritate sine lege comprobatum; RICHTER in *Diss. de Oratione Antonini de donationibus inter virum et uxorem confirmandis*. §. 4. Seu brevius secundum ULPIANVM in *Fragm. T. 1. §. 4.* tacitus consensus longa con-

suetudine inveteratus. In moribus poni quoque solet ius honorarium, prudentum auctoritas et disputationes fori, caeque iura ante Leges XII Tab. introducta denotant. Mores enim ante Leges XII Tab. fuisse exinde patet, partim quia cae una ex parte ex moribus compositae sunt, ut DIONYSIUS HALICAR. *Lib. X.* testatur; partim quia post earum promulgationem multa ex moribus permansere, quae in XII Tab. haut relata sunt. CICERO *Lib. II. de Legibus.* Ratio, quod hae donationes moribus iam prohibitae erant, nulla alia fuit, quam quod uxores olim in manum mariti conveniebant. Per hanc vero in manum conventionem in potestate mariti tanquam filiaefamilias erant. Hinc donatio inter virum et uxorem non magis valere poterat, quam inter patrem et filium, qui pro una persona habebantur. *l. 1. §. 1. D. pro donat. l. 17. C. de donation. GRYPEN de Vxore Romana. c. 3. §. 10. GROENEWEG. ad §. 4. 5. 6. I. de inutil. stip. n. 3. et ad l. 11. C. de donation.* adeoque pater donando filiofamilias sibi ipsi donare videbatur. *l. ult. C. de impub. et aliis substitut.* Excepta tamen erat donatio filio in castracunti a patre facta *l. 1. C. de castrens. pecul. l. 4. C. famil. erciscund.* quia haec ad peculium castrense pertinebat, intuitu cuius pater et filius non pro una persona habebantur, sed filius paterfamilias erat, nec patri, sed sibi donata acquirebat,

*nam quae sunt parta labore  
Militiae, placuit non esse in corpore census,  
Omne tenet cuius regimen pater. c)*

Quae

e) IUVENALIS *Sat. 16. v. 52.*



Quae cum ita sint, quomodo inter virum et uxorem donationes fieri potuere, non video. Nemo enim sibi ipse donare potest, PLVTARCH in *Problem. Rom. et praecept. coniugalib.* quod in effectu tamen fieret, si vir uxori donaret, nam uxor, uti iam dixi, per in manum conventionem filiaefamilias instar erat, et uti illa nihil proprii antiquitus habebat, sed omnia patris erant, ita et uxoris bona marito subiecta erant, omniaque marito acquirebat, quod CICERO in *Topico. c. 4.* affirmat: *cum mulier viro in manum convenit, omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiant dotis nomine; et* PLAVTVS *Casim. Act. 2. Sc. 2.*

*Hoc viri censo esse omne, quidquid tuum est.*

Cum igitur, uti ex ante dictis liquet, haec donationum inter virum et uxorem prohibitio per consequentiam necessariam olim ex statu peculiari matrimoniorum fuisset, nulla scripta lege opus erat. Nonne enim ridiculum fuisset, cavere legibus aliquid, quod iam maiorum mores vetabant? Moribus itaque receptam fuisse hanc prohibitionem certum est, eaque quoque retenta fuit, licet conventio in manum mariti successu temporis rarius fieret, imo plane in desuetudinem abiret.

## §. II.

*Rationes huius prohibitionis recensentur.*

Mutato nunc matrimoniorum statu, et abrogata in manum conventionem indeque fluente prohibitionis ratione defi-



ciente, nihil donationibus inter coniuges amplius oblati videbatur, cum ratio, quod uxor filiaefamilias instar marito suo esset, ad matrimonia solo consensu inita non amplius applicari potuit. At nihilominus earum prohibitionem retentam fuisse §. antecedente dixi. Quaeris itaque fortasse, quam ob causam hisce temporibus donationes inter coniuges prohibitae fuerint? Contra naturam enim, et ab aequitate et humanitate plane alienum videri posset, omnem omnino liberalitatem ac benignitatem inter personas, quas archifissimum amoris ac amicitiae vinculum coniungit, profus damnnare. Causa huius prohibitionis efficiens fuit libertas divertendi, per novam matrimoniorum formam introducta. Metuendum enim erat, ne alter alterum nimis donationibus, blanditiis similibusque artibus extortis, spoliaret, et postea diverteret. Vxor enim

*Sola viri molles aditus, et tempora norans d)*

eum blandis verbis ambit, dulcibus nominibus eum compellat, simulatis lacrimis, certissimisque omnibus uxorum artibus eum circumvenit, ille resistere nequit, victus succumbit, quidquid ea poscit donat, et si omnibus se nudatum vidit, nilque ei ad donandum restat, illa, prohi dedecus! exspoliatum et nimis sero benignitatem et fata lugentem deserit aliaque connubia quaerit. Quid? si immotus maneat, si dare recuset; tunc ei etiam ex hac causa divortium imminet. *l. 2. D. de donat. inter vir. et uxor.* Rebus sic stantibus

d) VIRGIL. *Aeneid. Lib. IV. v. 423.*



bus donationis inter coniuges prohibitio moribus recepta ut conservaretur, et legibus potius confirmaretur eo magis necesse fuit, quo maius erat damnum alias exinde metuendum. Ex hoc principio omnes prohibitionis rationes fluunt, quas leges suppeditant, quasque huc referam. Primam harum suggerit **VLP**IANVS in *l. i. D. de donat. inter vir. et uxor. ne mutuato amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate.* Aequalem rationem reddit **PROCVLVS** teste **POMPONIO** in *l. 31. §. 7. D. cod. ne amore alterius alter despoliaretur.* Alteram tradit **PAVLVS** in *l. 2. D. cod. nec esset eis studium liberos potius educendi.* Sensus huius legis **AYRERO** in *Diss. de donationibus inter virum et uxorem ad Lib. I. Tit. VI. Art. 1 et 2. Iur. Lübec. §. 2.* obscurus esse videtur, et ille reiecta vocula *nec* legem 1 et 2 sequenti modo nectere et legere mavult: *sed profusa erga se facilitate esset eis studium liberos potius educendi.* Sed hoc non est leges explicare sed dilacerare. Melius mihi placet sententia **ZACH. RICHTER** in *Diss. supra laudata*, qui pro *nec* esset, *ne cesset* potius legi ducit. Facile enim incuria describentium scribi potuit *nec esset*, pro *ne cesset*. Tertiam rationem excogitavit **SEXTVS CAECILIUS**, *l. 2. D. cod. quae est: quia saepe futurum, ut disputerentur matrimonia, si non donaret is, qui posset: atque ita eventurum, ut venalicia essent matrimonia.* Quod et **HOSPITALIVS** in *Epistola ad Vidum Fabium* dicit:

*Idcir-*



*Idcirco leges uxorem interque maritum  
Dona vetant, ne sit venalis gratia lecti,  
Deteriorque bonis meliorem pellat avitis.*

Quartam adfert ANTONINVS in Oratione de confirmandis donationibus inter virum et uxorem, quae extat in l. 3. *D. eod.* *Maiores nostri inter virum et uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis aestimantes, famae etiam coniunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur, neve melior in paupertatem incidere, deterior ditior fieret.* Quintam denique IVSTINIANO debemus, in l. 20. *C. de donat. ante nupt.* ubi *donationes propter libidines vetitas fuisse* tradit, ne inter coniuges ipsos matrimonia tanquam supra veniuntur. His rationibus ICTI plures addiderunt, de quibus vid. SCIP. GENTILIS *Lib. 1. p. 10.* GVIL. CORN. TEPELL in *Diss. ad l. 16. D. de donat. inter vir. et uxor.* in Thesauro *Dissert. Iurid. selectiss. Vol. 1. n. 13.* AVERANIVS *Interpretation. Iur. Lib. IV. C. 29. n. 4.* De donationibus inter virum et uxorem pluribus egerunt IVST. HENN. BOEHMER in *Diss. de statu donationum inter virum et uxorem:* in eius *Exercit. ad Pand. T. III. p. 717.* et HENR. IOH. OTTO KOENIG in *Diss. de vicissitudinibus iuris Rom. circa donationes inter virum et uxorem.*

### § III.

*Ab hac prohibitione excepta fuit donatio remuneratoria.*

Donationes virum inter et uxorem itaque olim absolute vetitae fuerunt, ita ut ipso iure nullae essent. At iste iuris rigor



rigor nequiquam subsistere potuit, eademque causa, quae huius prohibitionis rationem suppeditabat, divertendi nimirum libertas, quoque occasionem praebebat, ut prohibitio ista in quibusdam laxaretur. Iuvenis enim formosa femina, praetiosis vestimentis, mundo et ornamentis muliebribus gaudens, a marito nil ad ea comparanda accipiens, quem, animum licet donandi haberet, leges prohibebant, necessario extraneum admittebat, dona ab eo acceptabat, dona amor comitabatur, causam divortii quaerebat seque ad illum recipiebat. Vinculo ergo quodam ut allicerentur feminae ad servandam fidem conjugalem necesse fuit. Hoc perspicientes veteres Icti hunc iuris rigorem in quibusdam mitigaverunt, suisque interpretationibus introduxerunt, ut eae inter coniuges donationes, quae donantem non pauperiorem et accipientem non locupletiozem reddunt, valerent, *l. 5. §. 16. D. de donat. inter vir. et uxor.* non omnem in coniugio liberalitatem per prohibitionem damnatam esse, sed eam tantum, qua coniuges sese invicem bonis exhaurirent, existimantes. At pauperior is fieri dicitur, qui de patrimonio suo depouit, non is, qui non acquirit, *l. 5. §. 13. D. eod.* locupletior vero, qui patrimonium auxit. Antiquissimum harum donationum exemplum *l. 67. D. eod.* suppeditat. Hoc principio semel introducto multae inde donationum exceptarum species deductae sunt. Temporibus igitur hisce axioma receptum: donationes inter virum et uxorem prohibitae sunt, exceptis quibusdam. Sed hoc etiam Imp. ANTONINVS



Oratione sua mitigavit, constituitque, ut omnes inter coniuges donationes statim valerent; sed duplici demum modo confirmarentur, primo, si donator ante donatarium decesserit, secundo, si donatorem donationis non poenituerit, *l. 32. D. eod.* de qua Antonini Oratione pluribus ZACH. RICHTERVS in Diss. laudata egregie egit. Exempla permissarum inter virum et uxorem donationum in legibus multa occurrunt, quae colligam et ordine huc referam. Sunt nimirum sequentes. Donatio sepulturae causa, *l. 5. §. 8. 9. 10. D. de donat. inter vir. et uxor.* Si maritus ad oblationem Dei uxori donavit, vel locum, in quo opus publicum, quod promiserat facere, vel aedem publicam dedicaret, *l. 5. §. 12. D. cod.* Si maritus heres institutus repudiet hereditatem donationis causa, *l. 5. §. 13. D. eod.* Si legatum repudiet, *l. 5. §. 14. D. eod.* Si quis rogatus sit, praecepta certa quantitate, uxori suae hereditatem restituere, isque sine deductione restituat, *l. 5. §. 15. D. eod.* Si mulier acceptam a marito pecuniam in sportulas pro cognato suo ordini erogaverit, *l. 5. §. 17. D. eod.* Si maritus uxori pecuniam in unguenta et similia dederit, *l. 7. §. 1. l. 31. §. 9. D. cod.* Item ei manumissionis causa servum donet, *l. 7. §. ult. l. 8. D. l. 22. C. cod.* Donatio mortis causa, *l. 9. §. 2. l. 10. l. 11. pr. et §. 1. D. cod.* Si vir uxori ad refectorem aedium donaverit, *l. 14. D. eod.* Si maritus uxori pecuniam donaverit, eaque usuras ex donata pecunia perceperit, *l. 15. §. 1. l. 16. D. cod.* Si uxor ex fructibus praediorum, quae donata sunt, locupletata sit, *l. 17. D. eod.* Impen-

sae



fac in itinere praestitae, l. 21. pr. D. eod. Si res aliena donata  
 sit, l. 25. D. eod. Impensae in servos factae, l. 28. §. 1. D. eod.  
 Si quas servi operas viri uxori praestiterint, vel contra, l. 28.  
 §. 2. Si vir uxori Kalendis Martiis, aut natali die munus  
 modicum dederit, l. 31. §. 8. add. l. 1. §. 1. l. 7. §. 1. D. ad L. Iul.  
 repet. Si morte donatoris confirmata sit, l. 32. §. 1. 2. D. de  
 donat. inter vir. et uxor. Donatio honoris causa, aut ad-  
 piscendae dignitatis gratia ab uxore facta, l. 40. 41. 42. D. l. 21.  
 C. eod. Donatio exilii, l. 43. D. eod. et divortii causa,  
 l. 60. §. 1. D. eod. vel post divortium facta, l. 64. D. eod. Do-  
 natio ab Imperatore reginae coniugi vel contra facta, l. 26. C.  
 eod. His addenda est donatio remuneratoria, l. 7. §. 2. D.  
 eod. ubi haec leguntur: *Si vir et uxor quina invicem sibi do-  
 naverint, et maritus servaverit, uxor consumpserit, recte  
 placuit compensationem fieri donationum: et hoc Divus Ha-  
 drrianus constituit; l. 32. §. 14. D. eod. quae lex probat, hanc  
 donationem remuneratoriam oratione ANTONINI IMP.  
 confirmatam fuisse. Cf. PYRRHVS in Consuet. Aurelian-  
 ens. GAIL. Lib. II. Obs. 40. n. 7. CVIACIVS Lib. 15.  
 Obs. 21.*

#### §. IV.

##### *Donationis remuneratoriae descriptio.*

Donatio derivatur a graeco δῶρον καὶ δωρεῖται, i. e.  
 donum et donare, et dicta est a dono, quasi dono datum,  
 l. 35. §. 1. D. de m. c. donat. quae verba propriam donationis  
 naturam exprimunt, dum ea a donatario stricto iure, seu cum



effectu antea exigi, ac ad hanc praestandam donator cogi  
 nequeat, l. 29. pr. l. 19. §. 2. D. l. 10. C. de donat. l. 18. D. de  
 adim. vel transfer. legat. l. 82. D. de R. I. Est autem Do-  
 natio actus, quo aliquid ex liberalitate in accipientem trans-  
 fertur. Vox remuneratoria vero descendit a voce remunere-  
 rari. Remunerari proprie est munus alicuius munere alio  
 compensari, l. 1. §. 1. D. si mens. fals. mod. dix. Munus autem  
 et donatio inter se differunt, quam differentiam eleganter  
 MARCIANVS in l. 214. D. de V. S. docet, inquit: MV-  
 NVS proprie est, quod necessarie obimus, lege, more, impe-  
 riove eius, qui iubendi habet potestatem. DONA autem pro-  
 prie sunt, quae nulla necessitate iuris, officii, sed sponte prae-  
 stantur: quae si non praestentur, nulla reprehensio est: et si  
 praestentur plerumque laus inest. Munus est donum cum  
 causa, et a dono separatur; donum nimirum considerari  
 potest ut genus, munus ut species. Hoc diserte dicit VI-  
 PIANVS in l. 194. D. de V. S. Inter donum et munus hoc  
 interest, quod inter genus et speciem: nam genus Libero a  
 donando dictum, munus speciem, nam munus esse donum cum  
 causa, utputa natalicium, nuptalicium; et MARCIANVS in  
 l. 214. citata in f. Sed in summa in hoc ventum est, ut non  
 quodcumque munus, id et donum accipiatur: at quod donum  
 fuerit, id munus recte dicatur. Munus vocatur itaque do-  
 num, quod officii causa datur, vel quod mutuo animo qui  
 sunt dant officii causa. FESTVS voc. Munus. Donatio remun-  
 eratoria itaque definiti potest, quod sit actus, quo quis ob  
 bene-



*benemerita specialia obligatus aliquid in alterum irrevocabiliter transfert, arg. l. 27. et l. 37. §. 1. D. de donat.* Ceterum donatio haec remuneratoria id singulare habet, quod quisque eorum, qui donis se invicem decorarunt, donator et donatarius sit.

§. V.

*De distinctione inter donationem remuneratoriam et reciprocam vel antidoralem.*

Donatio remuneratoria duplici modo fieri potest, aut ab uno tantum ob beneficium vel benemeritum donatarii, aut ab utroque vicissim ac reciproce ob utriusque in alterum collata benemerita. Illam communi nomine *remuneratoriam*, haec *reciprocam* appellare solent, quia in duplici mutuo facta donatione consistit, eamque distare dicunt a remuneratoria, ut species a genere. Remuneratoriam veram esse donationem praedicant, at reciprocam statuunt magis esse permutationem. Verum enim vero eorum sententiae non plane adscribere possum. Admitti equidem potest haec distinctio, quia reciproca sic dicta donatio onus annexum habet: aut cum remuneratio etiam benemerita tanquam causam supponit, et ad negotia onerosa quoque accedit, *TITIVS in Iur. privat. Rom. Germ. Lib. IV. c. 9. §. 8.* et proprie compensatio est, ut infra fusius demonstrabo, differentia remuneratoriam inter et reciprocam donationem non adeo magna esse mihi videtur. Fingas enim casum: si femina ambitiosa,





tiosa, cum conditione mariti sui non contenta, aliis feminis, inferioris fortasse conditionis, locum cedere indigne ferens, sui similes ordine praeterire gestiens cupiditateque flagrans mariti videndi in senatoria aut alia dignitate, marito mille donet ad consequendam illam dignitatem, nonne illa ab hac mariti sui dignitate tunc participat? nonne hoc ipso uxoris donum remuneratur? Quid putas? Cur ergo et non hanc donationem reciprocam appellarem, non video.

### §. VI.

*Benemerita quomodo comparata esse debeant, et quid in reciproca observandum.*

Donatio remuneratoria, uti ex ante dictis patet, benemerita supponit. Sed cave ne existimes omnia, quae plerumque meritorum nomine veniunt, huc referri posse: nam in donatione remuneratoria stricte sic dicta benemerita specialia seu valde singularia requiruntur, i. e. non talia, quae ex pietate proveniunt, et ad quae donatarius iure tenetur. Merita enim in sensu proprio dicuntur, quando quis sua sponte facit vel praestat, ad quod non tenetur. MENOCHIVS *Lib. III. Praesumpt. 29.* Quid ergo statuendum censet de sententia eorum, e) qui ad donationem remuneratoriam etiam referunt, si coniux coniugi donet, quod in morbo auxilium praestiterit fideliterque servierit, si ignobilis nobili,

e) GAYL. *Lib. II. Obs. 40. n. 8.* PEREZ ad *Tit. C. de donat. n. 5.*  
BERLICH. *P. II. Concl. 15. n. 18.*



bili, deformis formosae, senex uxori iuveni aut contra donet, ad compensandum defectum nobilitatis, formae et vigoris? Me nec talium virorum auctoritas, nec argumentorum eorum pondus contrarias partes subire deterrent. Quo enim hic meritum? non video. Si uxor viro aegrotanti sollicite adsistit, si femina iuvenis aut formosa marito seni aut deformi fidem servat, non alias amores quaerit, hoc officium est, non meritum aut virtus. Quid enim tam humanum est, quam ut fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse? *l. 22. §. 7. D. Solut. matrim. quemadm.* Huc accedit, quod, si maritus senex aut deformis uxori iuveni aut formosae ad compensandum defectum vigoris et formae donet, amor venalis fiat, et concordia pretio concilietur, quod contra leges est. *l. 1. 2. 3. D. de donat. inter vir. et uxor.* FACHINAEVS *Controvers. Lib. III. c. 80.* VOETIVS *Tit. de donat. inter vir. et uxor. n. 10.* Igitur sane nimis inepti sunt vulgo Doctores, ait SCIP. GENTILIS *Lib. II. c. 21.* qui propter formam, aetatem, nobilitatem, similia bona statuunt, donationes inter virum et uxorem valere tanquam mutuas et reciprocas vel remuneratorias. Quoad alteram rubri partem quaestio hic observanda; an in donatione reciproca donator tantum recipere debeat, quantum dono dedit, an non? Equidem affirmativa sententia defendenda esse videtur ob *l. 7. §. 2. D. de donat. inter vir. et uxor.* *Si vir et uxor quina invicem sibi donaverint, et maritus servaverit, uxor consumpserit, recte placuit compensationem fieri*



feri donationum: et hoc Divus Hadrianus constituit. At ille mihi erit magnus Apollo, qui ex citata lege probare possit, quod coniux coniugi tantum donare debeat, quantum recepit, non plus aut minus. Quis quaeso non vidit, in hac lege quaestionem tantum proponi, an donatio inter virum et uxorem valeat, licet alter dilapidaverit donata, alter servaverit; quod in ea affirmatur. Negativa ergo sententia merito praeserenda est. Donatio enim reciproca valet, licet donator minus receperit, quam dedit, dummodo fraus et laesio manifesta absit, quae tunc apparet, si remuneratio causae ad remunerandum moventi nimis inaequalis sit. Nam si coniux modicum exiguumque coniugis beneficium amplissima liberalitate compensat, tunc donatio non amplius remuneratoria manet, sed potius simplicis donationis naturam assumit. Sic itaque sufficit, si quoad quantitatem aliqua aequalitas adsit, ad exemplum donationis propter nuptias, *l. ult. C. de donat. ante nupt. vel propt. nupt.* Obstare quidem videtur *Nov. 97. c. 1. et Auth. Aequalitas C. de pact. convent.* ubi dispositum: *Aequalitas omnino servanda est in dote et in donatione antenuptiali: non tantum in lucris inde proventuris, sed etiam in praestatione et constitutione utriusque. Augmentum quoque vel prorsus non fiat, vel ab utraque parte celebratur, pari scilicet quantitate: ne vel eo modo subvertatur aequalitas.* Sed iure Germanico et moribus haec aequalitas non desideratur, et Authentica modo citata universali consuetudine Imperii sublata est, suntque disparia pacta. Pro regio-



regionum enim diversitate alicubi maior est dos, alicubi maior est donatio propter nuptias. Vid. RITTERSHVSIUS in *Iure Iustiniano, seu Expositione methodica Novellar. Lib. V. c. 1. n. 7.* et GAIL. *Lib. II. Obs. 78. n. 2.*

### §. VII.

*An ad remuneratorem donationem quis iure perfecto obligatus sit?*

Sunt qui iure perfecto aliquem ad donationem remuneratorem obstrictum esse statuunt ob *l. 27. et 34. §. 1. D. de donation.* eamque actione peti posse putant. CARMON in *Diss. de remunerationibus principum erga ministros praecipuis ob benemerita. c. 1. n. 13.* STRYK in *Caut. Contract. Sect. III. C. IX. §. 3.* BRUNNEMANN ad *l. 1. D. de donation.* STRVV. in *Exercitat. ad Pand. XL. §. 17.* At sane illi remunerationem cum mercede confundunt, et merita cum mercenariis operis, quae in contractu facio ut des interveniunt. Merceres vero necessitatis est, eamque iure perfecto praestare obligamur, quod de remuneratione dici haut potest. Nam si quis secundum *l. 27.* allegatam praeceptori suo, qui iam olim mercedem laboris sui accepit, deinde iterum aliquid ex benevolentia donet; vel si a latrunculis et hostibus liberatus, uti in *l. 34. §. 1.* citata, servatori suo quid dederit; hoc tu ad mercedem referres, an sola ex liberalitate proficisci diceres? Ad decidendam propositam in rubro quaestionem distin-

C

guen-



guendum est inter obligationem perfectam et imperfectam. Obligatio, qua ad beneficia accepta remuneranda tenemur, imperfecta est, nec ei, qui beneficium praestitit, ius aut actionem perendi tribuit, sed remuneratio eius pudori relinquitur, qui benemerita accepit. *l. 25. §. 11. D. de heredit. petit.* Aliud plane dicendum de casu, ubi is, qui beneficia accepit, remunerationis loco quid promissit; nam tunc ex ipsa hac promissione alteri est ius quaesitum, et obligatio perfecta adest, adeoque donum promissum exigi potest a promittente. Vbi contra donatorem inter et donatarium nullo consensu constitutum est, ut hic illi vicissim aliquid praestaret, remuneratio naturae donationis non inest. Leges citatae nullo modo obstant. Nam meo iudicio id saltem constituunt: remuneracionem promissam esse praestandam; ille, qui hisce ex legibus sensum eruere potest, quod quis ad remuneracionem non promissam praestandam cogi possit, divina potius quam humana interpretationis arte praeditus esse debet. Quaestio itaque, an quis ad remuneratoriam donationem iure perfecto obligatus sit, affirmanda est, si donatio promissa, si non, merito est neganda.

### §. VIII.

*Vera natura et indoles donationis remuneratoriae explicatur.*

Si itaque inter donantes non conventum est, ut altero donante alter quoque donet, vera quidem adest donatio, nam  
hic



hic in alterum quid transfertur ex liberalitate, seu sine iure cogente, §. IV. quae quidem obligationem naturalem producit, at non actionem contra alterum, cui ego donum dedi, *l. 25. §. II. D. de heredit. petit.* ALEXANDER AB ALEXANDRO *Lib. V. genital. dier. c. 1.* Si quis enim gratus sit, et accepta beneficia remuneret, id maxime probant leges, sed non propterea actiones dari volunt. Neque ego etiam video, quomodo quis ad remunerandum cogi possit. Hoc omni remuneratoriae donationis naturae plane contradicit, eaque tali modo in contractum facio ut des degenerat. Si enim ex benemerito actio oriatur, desinit esse meritum et virtus. Fone ceterum benemerita actionem producere, huic uni certe omnia fora vix sufficerent. Quis erit qui non agat? Quis, coram quo non agatur? Omnes sua beneficia et merita extollent: ii contra, qui acceperunt, minuent. Quid ergo quale quantumque determinandum esset? Cf. LEYSER in *Meditat. ad Pand. Spec. 434. Med. 10.* qui et legem citatam egregie explicat. Si vero inter donantes conventum est, ut altero donante alter quoque donet, tunc eiusmodi donatio proprie non vera est donatio, sed magis pactum, quia, ut §. antecedente dixi, facta ab altero donatione alter perfecte est obstrictus, ut quoque donet, *l. 18. §. 1. D. de donation.* quae exhibet casum: Si servum alicui tradidero, ut eum alter post quinquennium libertate donet, ante quinquennium agere non potero. Add. MOECKERT in *Diss. de donatione inter vivos revocabili et m. c. irrevocabili §. 4.* In hoc ergo casu, si eiusmodi



conventio de reciproca donatione inita adest, ei, cui alter donum remunerationis causa promisit, actio ex stipulatu vel conditio ex l. 35. §. ult. C. de donation. competit.

### §. IX.

*De sanctionibus, quibus insinuatio donationum modum in legibus determinatum excedentium requiritur.*

Nulla fere gens in donationibus fortasse intemperantior fuit, quam Romani. Vnde tot constitutiones eas restringentes, quas inter et eae notandae sunt, quae quamlibet donationem, quae robur habitura sit, insinuandam esse iubent. Insinuare autem nihil aliud est, quam publicare coram magistratu competente, et in publicas tabulas redigere, §. 2. l. 1. 30. 31. 36. §. ult. C. de donation. In Digestis insinuationis nulla mentio fit, et leges huc spectantes ex Institutionibus et Codice desumendae sunt. Sanctiones hac de re praecipientes sunt plures, quas ordine suo huc referam. Prima inter eas fuit lex Cincia, A. P. C. DL de donis ac muneribus lata, cuius varia fuerunt capita; quorum primum fuit, ne quis ob causam orandam donum munusve acciperet; alterum, ut in donationibus traditio vel mancipatio interveniret; tertium, ne quis ultra certam summam donaret. BRUMMERVS *ad legem Cinciam c. 13. n. 17.* Qua lege legitimum modum ducentorum aureorum donationibus impositum fuisse putat CUVIACIUS *Lib. IV. Observation. c. 18.* Sed legem hanc im-

per-



perfectam fuisse tradit VLPPIANVS Tit. I. de legib. et morib.  
 apud SCHVLTING. in iurispud. veter. ante-Iustiniana p. 561.  
 Postea CONSTANTIVS CHLORVS donationes in scriptis  
 fieri et insinuari constituit, quod filius eius Imp. CONSTAN-  
 TINVS M. testatur in L. 1. C. Theod. de sponsal. inquiens:  
*Pater noster nullam voluit liberalitatem valere, si actis inser-  
 ta non esset.* Patris sui constitutionem confirmavit CON-  
 STANTINVS M. L. 3. C. Theod. de sponsal. et l. 25. C. de do-  
 nation. Sed hoc per THEODOSIVM II. et VALENTINIA-  
 NVM Imp. quadantenus relaxatum fuit, qui scripturam  
 remiserunt, et donationem, si non excederet ducentos soli-  
 dos permiserunt, l. ult. C. Theod. de sponsal. ubi haec legun-  
 tur: *In illa donatione, quae in omnibus intra ducentorum  
 solidorum est quantitatem, nec actorum confessione quaeren-  
 da.* Huius constitutionis mentionem facit Imp. IVSTINIA-  
 NVS §. 2. I. de donation. Et cum retro, inquiens, principum  
 dispositiones insinuari eas (donationes) actis intervententibus  
 volebant, si maiores fuerant ducentorum solidorum. Corre-  
 xit tamen ille hanc THEODOSII et VALENTINIANI Au-  
 gustorum constitutionem, et hanc ducentorum solidorum  
 quantitatem primum ad trecentos solidos ampliavit, l. 34. C.  
 de donation. *Sancimus, omnem donationem, sive communem,  
 sive ante nuptias factam, usque ad trecentos solidos cumula-  
 tam, non indigere monumentis, sed communem formam ha-  
 bere: ut non usque ad ducentorum solidorum summam tene-  
 at: sed in huiusmodi observatione similes sint tam communes,*






quam ante nuptias donationes. Tandem vero summam ad quingentos solidos porrexit, §. 2. *I. de donation. Constitutio nostra eam quantitatem usque ad quingentos solidos ampliat, quam stare etiam sine insinuatione statuit. et l. 36. §. ult. C. eod. Cacteris etiam donationibus, quae gestis intervenientibus minime sunt insinuatæ, sine aliqua distinctione usque ad quingentos solidos valituris: hoc etenim tantummodo ad augendas huiusmodi donationes addendum esse ex præsentī lege decernimus, anteriore tempore nostra lege præcedente moderando, qua usque ad trecentos solidos factæ donationes et sine insinuatione firmitatem obtinere iussæ sunt. Ceterum observandum, quod donatio præscriptam summam excedens non in totum nulla sit, ut alias CONSTANTINVS l. 3. C. Theod. de donation. et CONSTANS filius l. 6. eod. constituerunt, sed tantum, quatenus eam excedit, l. 34. pr. l. 36. §. ult. C. de donation. Nov. 162. c. 1. §. ult. Sed etiam hoc Imp. LEO in Nov. 50. subtilitatem superfluam vocat, simulque sanxit, ut si donatio, quae quingentos aureos excedit, in litteras relata sit, rata permaneat etiam absque insinuatione, quae vero scripto comprehensa non sit, ad quingentos usque aureos valeat, dummodo tribus testibus confirmetur. At quoniam Novellæ LEONIS nullam in foro auctoritatem obtinuerunt, licet in Graecia olim quandam habuerint, vid. BYNKERSHOEK *Observat. iur. Lib. IV. c. 1.* RITTERSHVIVS in *Exposition. method. Novellar. c. 10. §. 1.* merito sanctionis huius imperatoris nulla ratio habetur.*

§. X.





§. X.

*Proponitur quaestio, an donatio inter coniuges remuneratoria  
D. solidos excedens insinuatione indigeat. Argumenta  
pro sententia affirmativa adferuntur.*

Haec de insinuandis donationibus dispositio tamen non tam generalis dici potest, ut omnes omnino donationes stringat. Etenim nonnulli sunt casus, ubi, summam licet determinatam donationes excedant, nec iure civili nec moribus insinuatio requiritur, quod ipse IUSTINIANVS ad suam constitutionem huius causa promulgatam provocans §. 2. *I. de donation.* dicit: *sed et quasdam donationes invenit, quae penitus insinuationem fieri minime desiderant, sed in se plenissimam habent firmitatem.* In harum numerum referuntur sequentes. I. Donatio facta a principe vel principi, *l. 34. pr. C. de donation. Auth. Item C. eod. Nov. 52. c. 2.* vid. BRVN- NEMANNVS *ad d. l. 34.* II. Donatio militibus a magistratu militum in rebus mobilibus facta, *l. 36. §. 1. C. de donation.* III. Donatio ad redemptionem captivorum, *l. 36. §. 1. C. eod.* IV. Donatio ad refectionem domus exustae, *l. 36. §. 12. C. eod.* V. Donatio iuramento confirmata, *C. 28. X. de iureiurand.* conf. GAILIVS *Lib. II. Obs. 39.* Denique VI. donatio remuneratoria. At quid dico? Quid tam confidens hanc etiam donationem non indigere insinuatione assero, tantis argumentis obstantibus? Sententia enim affirmativa potius sequentibus ex argumentis defendenda esse videtur. I. Dispositio





titio IUSTINIANI in *l. 34. C. de donation.* est generalis, ut  
 particula *omnis* indicat; dicit enim: *Sancimus, omnem do-*  
*nationem, usque ad trecentos solidos cumulatam, non indi-*  
*gere monumentis.* Qui dicit *omne*, nihil excludit. Gene-  
 ralis autem dispositio omnes species comprehendit, arg. *l. 79.*  
*D. de legat. 3. l. 240. D. de V. S.* Ergo omnis donatio sup̄ hac  
 lege continetur. II. Vbi eadem ratio est, ibi idem ius ob-  
 servari debet, *l. 32. D. ad L. Aquil.* Ratio autem, propterea  
 iudicialis insinuatio donationibus praescripta est, in eo con-  
 sistit, ne homines inconsulto calore ducti imprudenter rem  
 familiarem suam profundant, et ut omnis suspicio fraudis  
 tollatur, et insuper plenissima negotii fides adsit, *l. 27. C. de*  
*donation.* Sed ubi haec rei familiaris profusio magis est me-  
 tuenda, quam inter coniuges, quia donationes reciprocae  
 non semper sunt aequales? Quae potest maior fraudum et  
 machinationum seges existere, quam si obtentu remunerationis  
 donationes validae existimentur? Quomodo plenissima  
 meritorum fides alias exstabit? III. Exceptio in donatione re-  
 muneratoria nulla lege confirmari potest. Nam IUSTINIA-  
 NVS in *l. 36. C. de donation.* ubi donationes ab insinuationis  
 lege exceptas refert, nullam donationis remuneratoriae men-  
 tionem facit. Vbi vero lex non excipit, standum est regulae.  
 Hisce ex rationibus quidam necessitatem insinuationis in do-  
 natione remuneratoria tam in genere quam intuitu coniu-  
 gum acce defendunt, quos inter prae aliis eminent PVEEN-  
 DORFIVS *Observat. Iur. Tom. I. Obs. 18.* PACHINEVS  
Con-



*Controvers. Jur. Lib. III. c. 82. MERENDA Controvers. Lib. I. c. 14. n. 7. ZIEGLERVS Discept. select. Tb. 36. n. 30.*

§. XI.

*Argumenta pro sententia negativa proponuntur.*

*Responsio ad obiectionem primam.*

Fateor, has obiectiones primo intuitu magnam veritatis speciem habere, facileque quempiam ut eis subscribat perducere posse; at me convincere, meque ut dicta revocem mea cogere non possunt. Quales quales sint non pertimesco eas, quas refutare non tam difficilis labor est. Validioribus enim argumentis sententiam meam probare spero confidoque. Ad primam quod attinet obiectionem, vix ea responsione digna mihi videtur. Si enim *l. 34. C. de donation.* generaliter disponeret, adeoque omnes donationum species comprehenderet, ut adversarii contendunt, sane sequeretur, eam quoque ad istas applicandam esse donationes, quas ipse *IVETINIANVS in l. 36. C. eod.* excepit; et sic Imperatoris constitutio omni effectu destitueretur, immo plane inutilis fuisset. Porro insinuatio tantum requiritur intuitu donationum, quae revocari possunt, si quantitatem determinatam excedant, §. 2. *l. l. 34. C. de donation.* donatio remuneratoria autem plane irrevocabilis est, ceu ex *l. 34. §. 1. D. de donation.* clare patet, ubi *PAVLVS* haec tradit: *Si quis aliquem a latrunculis vel hostibus eripuit, et aliquid pro eo ab ipso accipiat: haec donatio irrevocabilis est.* Vtuncque eo nomine in infinitum do-

D

natum



natum sit, non revocatur ea donatio ut immodica, quamvis iustum excedat modum, vid. *Gloss. ad d. l.* Imo donatio remuneratoria ne quidem ob ingratitude[m] revocari potest, ANTON FABER in *Cod. Lib. VIII. Tit. 36. Def. 2. n. 8.* STRYK. in *Cautel. Contr. Sect. III. c. 9. §. 7.* CARPZOV. *P. II. Const. 12. Def. 34.* Si ergo ea irrevocabilis est, insinuatione non eget, quia ob summam D. solidos excedentem revocari nequit, vid. MYNSINGER *Cont. IV. Obs. 75.* STRVBENS *rechtl. Bedenken T. III. n. 184.* Praeterea l. 34. C. de donation. de donatione simplici tantum agit, donatio vero remuneratoria non est donatio simplex, l. 12. pr. D. mandat. et *Gloss.* hinc ea magis restringenda est, quam extendenda; quae restrictiva interpretatio semper locum habet, si verba latius ratione legis patent. vid. ECKHARDI *Hermeneutic. iur. Lib. I. cap. 1. §. 36.*

### §. XII.

*Altera ratio, quare in donatione remuneratoria insinuatio minus necessaria sit. Responsio ad objectionem secundam.*

Ratio altera, ob quam insinuatione opus sit, si donatio D. solidos excedat, fuit, ut inde nimis effusae donationes refrenentur, et ne homines inconsulto calore ducti rem suam familiarem imprudenter profundant; quod inter coniunctas praesertim personas maxime verendum est, adeoque insinuatio in donationibus inter eiusmodi personas absolute necessaria esse videtur. Sed licet donatio inter coniuges tunc prohibi-



160 \* 160

hibita fit, si alter coniugum ex ea pauperior, alter locupletior fit; hoc tamen de donatione remuneratoria dici nequit, cum donator pro munere a donatario ei dato aliquid recipiat, ergo ex ea donator non pauperior fit, nec donatarius locupletior: quo in casu leges donationem inter coniuges validam declarant, l. 5. §. 16. l. 25. D. de donation. inter vir. et uxor. l. 3. D. pro donat. Si ex donatione remuneratoria donator non pauperior fit, ex beneficio suo etiam nullum damnum sentit, adeoque nullum laesionis periculum existit: ubi vero nullum laesionis periculum adest, ratio insinuationis exsulat. Insinuatio enim requiritur ad laesiones praecavendas: ubi itaque ratio insinuationis deficit, insinuatio ipsa exsulare debet: atqui in donatione remuneratoria nulla, uti ex supra dictis liquet, laesio metuenda, ergo ea etiam nulla insinuatione indiget. Obiicit fortasse: donationes remuneratorias non semper esse aequales, ergo periculum laesionis adesse. Primum concedo, et §. VI. ipse probavi, quod haec aequalitas non semper requiratur; at conclusio ista exinde non sequitur. Pone enim; maritus uxori gemmas, uniones aliasque res pretiosas dono dat, uxor vero remunerationis causa marito domum vel fundum reciproce donet, tunc quoad pretium inaequalitas adest, uxor tamen non pauperior fit, sed potius locupletior, quia ex fundo donato coniugis donatarii industria et cultura fructus percipit. Aut repetas casum in §. V. allatum: si uxor marito mille donet ad consequendam dignitatem, maxima inaequalitas adest, quia illa nihil retro

D 2

reci-





recipit, at pauperior uxor dici nequit, quia tunc de dignitate et salario mariti participat.

### §. XIII.

#### *Responsio ad obiectionem tertiam.*

Dissentientium tertia obieccio, qua necessitatem insinuationis donationis remuneratoriae defendi posse, sibi persuadent, fuit, quod IVSTINIANVS in *l. 36. C. de donation.* ubi donationes ab insinuationis lege exceptas refert, donationem remuneratoriam in earum numerum non retulerit. At respondeo: in *l. 36.* citata, cui adiungi potest *l. 3. C. de quadrienn. praescript.* insinuatio remittitur intuitu donationum, quae ex mera liberalitate proveniunt. Hoc satis indicant exempla donationum, quas IVSTINIANVS ibi recenset, quasque ab insinuatione immunes esse vult. In hisce enim donationibus ea salutis et utilitatis publicae ratio apparet, quae qualicumque civium facta legitima, sicque donationes ratas efficit, quapropter volentibus benemereri de republica imperator indulgendum esse censuit; quorsum pertinent donata ad redimendos captivos, vel ad refectionem aedium incendio vel ruina corruptarum, cum quoque ad augmentum felicitatis communis pertineant, quae ad aedificia collapsa resitutuenda et civitatem inde a ruinis ac deformitate liberandam sunt. Donatio remuneratoria autem ob beneficia accepta fit, non vero ex mera liberalitate, sed ex causa, per quam donantis patrimonium auctum fuit, vid. §. IV. Ne mireris ergo,

IVSTI-



IVSTINIANVM eam in l. 36. citata inter donationes, quas ab insinuatione excepit, non retulisse, cum omnes donationes sibi recensitas ex mera liberalitate fluant: antidora enim potius continent pretia, quam liberalitatem, l. 19. §. 1. l. 27. D. de donation. Adde, quod ratio insinuationis ad donationem remuneratoriam applicari nequeat, ideoque insinuatio ipso iure in ea exsulet, ut §. anteriori demonstravi. Posito ergo, IVSTINIANVM et donationem remuneratoriam in lege citata retulisse, eamque ab insinuationis lege excepisse, nonne tunc ille superfluum quid et risu dignum constituisset? Obiectio itaque haecce, ut videre est, nullius est momenti, et, ut ceterae, quod spero, satis superque a me refutata est.

§. XIV.

*Donatio remuneratoria magis permutatio et compensatio est, quam donatio.*

Maximum, quod pro mea sententia militat, argumentum, et quod omnimodam dubitationem, si adhuc quaedam adesse potest, superat, est, quod donatio remuneratoria proprie non sit donatio, l. 27. D. de donat. ubi PAPINIANVS de donatione remuneratoria REGVLI NICOSTRATO facta dicit: *et cum de ea re mecum contulisset, dixi posse defendi, non meram donationem esse.* add. Gloss. ad d. l. Omnes enim donationum qualitates donationi remuneratoriæ accommodari nequeunt. Nam quia utrique ex sua liberalitate decedit, quantum ex aliena accedit, magis permutatio, quam



donatio dici potest. vid. GAIL. *Lib. II. Obs. 40. n. 7.* VOET. *Tit. de donat. §. 17.* CARPZOV. *Lib. V. Tit. 7. Resp. 57. n. 24.* IUL. CLAR. *§. don. q. 3.* Ecquis autem est, qui in permutatione insinuationem requiri contenderet? Porro quia donatio remuneratoria non ex mera liberalitate, sed sub certa causa, et ex vera, quae ad dandum adest, obligatione naturali in aliquem confertur, donatio vero sola ex liberalitate fit, *l. 1. D. de donation.* vid. §. V. proprie non est donatio, sed potius compensatio beneficiorum, *l. 7. §. 2. D. de donation. inter vir. et uxor.* quae disponit: *Si vir et uxor quina invicem sibi donaverint, et maritus servaverit, uxor consumpserit, recte placuit compensationem fieri donationum.* vid. BERLICH. *Concl. XIV. n. 11 et 13.* GAIL. *Lib. II. Obs. 38. n. 5.* COLER. *P. I. Dec. 10. n. 8.* Compensationem autem insinuatione ege-  
re, nulla lege sancitum est.

### §. XV.

*Donatio inter coniuges reciproca in pactis dotalibus facta  
opus non habet insinuatione.*

Donatio, quam coniuges sibi invicem ante nuptias in pactis dotalibus promittunt, insinuatione non indiget, etiam si intuitu omnium bonorum facta sit. Donatio enim omnium bonorum non est prohibita, *l. 25. §. 4. 5. C. de donation.* vid. BROKES *Observat. forens. Obs. 545.* WERNHER *Observat. forens. P. IV. Obs. 8.* Obstare quidem videtur, quod ea adimat liberam testandi facultatem, cum nemo sibi licentiam testan-



testandi adimere queat. Ast quoniam contractus inter vivos non sunt prohibiti, per eos vero facultatem testamentum condendi interverti nemo ibit inficias, ius testandi recte ut subsidiarium ius considerari potest, si inter vivos non sit dispositum. Secundum mores hodiernos etiam hoc ius pro lubitu restringi, pactisque omnino adimi posse inter omnes constat. STRYK *in Vj. modern. Lib. 39. T. 5. §. 9.* Coniuges ergo omnia bona reciproce sibi in pactis dotalibus donare possunt. In hoc casu donatio reciproca induit naturam pacti successorii, et tunc ex natura pactorum eius indoles diiudicanda. Pacta autem successoria ad suam validitatem insinuatione opus non habent, sive considerentur ut contractus, *l. 17. C. de fid. instrum. et Gloss.* sive ut ultima voluntas, *l. ult. C. de m. c. donation.* Cf. CARPZOV. *P. II. C. 13. Def. 2. n. 7.* STRYK. *de success. ab intest. Diss. VIII. c. 5. §. 10.* nisi lege provinciali vel statuto aliud sit receptum. Hinc donatio inter coniuges reciproca, etiam si intuitu omnium bonorum, in pactis dotalibus facta, sine insinuatione subsistit. Obiicere quis posset *Const. elect. Saxon. 1. P. III. §. Wir ordnen aber auch etc.* At aliud est de iure civili, aliud de iure Saxonico. Accedit, quod dicta *Const.* de simplici tantum donatione mortis causa omnium bonorum loquatur, inde ad donationem coniugum reciprocam vel ad pacta dotalia haudquaquam extendi debeat. Aliis quoque ex rationibus sententiam meam confirmare possum. Quid? quod donationes reciprocae in pactis dotalibus factae cum testamento coniugum reciproco  
fimi-



similitudinem habent, quod etiam nulla insinuatione indiget. Porro, ubi intuitu omnium bonorum donatio reciproca facta est, oritur communio bonorum, vid. MEIER Diss. de *Auffgaba Littaviensi*. §. 7. quo casu donationes remuneratoriae, ideoque insinuatio, cessant; de quo fusius infra.

### §. XVI.

*Ex communi Dd. sententia et secundum observantiam fori insinuatio donationis remuneratoriae summam D. solidorum excedentis non requiritur.*

Tantis argumentis moti Doctores unanimiter fere sententiam meam approbant, quod etiam fori observantia confirmat. De praxi supremi iudicii cameralis id testatur DE GRAMER, vid. eius *Wezlarische Nebenstunden* P. CXI. n. V. ubi casus de nobili occurrit, qui virgini, quae res eius domesticas curabat, in remunerationem ultra D. solidos donaverat, eamque donationem apud supremum tribunal imperii insinuare constitutum apud se habebat, sed morte praeventus quod intenderat, perficere non potuit, quo facto quidem eius heredes ab intestato donationem ob defectum insinuationis impugnabant, sed nihilominus pro valida declarabatur. Add. MYNSINGER *Observat. imper. camer. Cent. IV. Obs. 75*. Idem observatur in summo Tribunali Berolinensi, vid. BREHMER in *Jur. controvers. P. II. Obs. 123*. Ita quoque disponit das *Gbnfürstl. Brandenb. revidirte Landrecht des Herzogthums Breussens de 1685. Lib. IV. Tit. 14. Art. 2. §. 6*. ubi legitur:

Es



Es sollen aber hiemit die sondern Fälle, darin vermöge der geschriebenen Kayserlichen Rechten die Insinuation nicht vornöthen, und da die Gaben ohne den Richter beschehen müngen, nicht aufgehoben seyn: sondern sie beschehen gleich in beweglichen oder unbeweglichen Gütern, in ihren Werth unter andert stehen und bleiben. Als wenn jemand einem andern um VERDIENST, Gutthat oder anderer Ursachen willen schenket, das solchem Verdienst gemäß, oder daß er ihn künftig sein lebelang erhalten soll: dann was aus Ursachen geschiebet, ist eigentlich davon zu reden keine Schenkung, sondern eine Belobnung und Ergetlichkeit. Probant haec, quae supra §. XI. dicta sunt; leges, quae de insinuatione agunt, ad simplices donationes esse restringendas. Nec iura statutoria desunt, ex quibus idem adparet, et ex quorum numero nonnulla adferre licet. Sic statuta Mulhusana necessitatis insinuationis nullam faciunt mentionem: vid. Statuta und Willkühr der Kayserl. frey und des heil. röm. Reichs-Stadt Mühlhausen Lib. III. Art. 92. von Gaben zwischen Eheleuten, §. 2. ubi haec leguntur: Da aber beyde Theile Güter zusammen gebracht hätten, und eines gebe dem andern das seine also, daß solche Gabe, mutua oder reciproca eine gegen die andre were, auff solchem Fall ist dieselbe, bevorab wenn sie ohne Kinder sind, zwar beständig, doch bleibet in beyden Fällen sowohl denen Eltern als Kindern ihre Gerechtigkeit und Noth-Erbschaft vorbehalten. E contra eadem statuta de donatione simplici, sive inter vivos, sive mortis causa

dispo-



disponunt: Sie sollen auch geschehen vor uns im stzenden Rath oder auch von etlichen von uns auf geziemendes Ansuchen verordneten Rathsfreunden, also, daß sie in unser Raths Protocoll eingeschrieben werden. Neque iudiciali infirmationem requirunt statuta Luneburgensia, P. III. Tit. V. Was ein Ebegeuß dem andern freywillich, ungezwungen, aus redlichen Ursachen und ohne Betrug schenkt, und übergiebt, das ist zu Recht kräftig und beständig. Vid. PFEND. Obs. Tom. IV. in append. p. 71. requiritur modo, ne donatio sit immodica et inofficiosa, qua liberi ratione legitima laeduntur. Statuta Gubensia coniugum arbitrio relinquunt, an eiusmodi donationem apud acta constituere velint, nec ne: vid. Statuta der Stadt Guben Art. 1. quae nuper edidit consult. SCHOTT in den Sammlungen zu den deutschen Land- und Stadtrechten. II Theil. p. 125. ubi sequentia occurrunt: Wenn zwey Eheleute, die keine Kinder haben, einander eheliche Treue beweisen, und ihr Gut, was sie zusammen bracht, und von Gott ferner gesegnet, nicht zusammen verpraßet, möge ihnen wohl zugelassen seyn, wie bis dahero bräuchlich gehalten worden, mit einander eine reciprocam donationem des Guts, des sie mächtig, jedoch bey guter Vernunft, Witz und Verstand, ungezwungen und ungedrungen, ohne Einrede ihrer Freundschaft in begabten Gedinge aufzurichten. Es soll aber den Donationibus, welche nach Rechts-Ordnung im Beyseyn der Zeugen und Notarien können vollzogen werden, nichts praediciren, noch benom-  
men



men seyn, sondern soll einem jeden frey stehen, solche Testam-  
 menta und Donation gerichtlich, oder nach Rechts-Ordnung  
 zu vollziehen. Cum his conspirat ius statutarium Moeno-  
 Francofurtense. Vid. der Statt Franckfurt am Mayn erneu-  
 erte Reformation de A. 1578. P. III. Tit. V. §. 1.

### §. XVII.

*Alibi tamen insinuatio in certis casibus requiritur.*

*Quid iure Saxonico obtineat?*

Iure Saxonico reciproca seu remuneratoria inter con-  
 iuges donatio absque judiciali insinuatione valida est, quod  
 CARPZOVIVS testatur P. II. C. 13. D. 18. Intuitu Geradae  
 quamvis Const. Elect. P. II. c. 13. sancitum sit: Wann aber die  
 Donation antidotalis oder remuneratoria ist, daß sie ipso iure  
 unter den Eheleuten alsbald von Anfang zulässig, so kann  
 auch dieselbige disfalls zu Recht vor beständig gesprochen  
 werden: ex sententia tamen interpretum requiritur, ut do-  
 natio Geradae reciproca ab uxore marito facta in loco iudicii,  
 vel coram personis nomine iudicii ad hoc deputatis, aut  
 coram notario et testibus facta fuerit. Const. Elect. P. II. c. 14.  
 vid. CARPZOV. l. c. D. 6. licet ipse fateatur, hanc constitu-  
 tionem agere de donatione Geradae in extraneum facta. In  
 donatione quoque remuneratoria de rebus immobilibus facta  
 magistratus auctoritas ac confirmatio requiritur, qua quaevis  
 alienatio ac distractio indiget. vid. CARPZOV. Resp. iur. elect.  
 Lib. V. T. 5. R. 57. n. 24. At haec confirmatio iuris Saxo-



nici cum infirmatione a IVSTINIANO praescripta non est confundenda; requiritur enim in eum finem, quo magistratui novus possessor innotescat, inque hunc vere transferatur dominium, quod non nisi per iudicalem traditionem conferri potest, *Weichbild. Art. 20 et 60.* Conspirat cum hac ordinatione quoque ius patrium, Cf. SERENISS. *Verordnung von 2 Dec. 1744.* vi cuius omnes conventiones de rebus immobilibus inita actis publicis inferendae sunt.

### §. XVIII.

#### *Sancita iuris Lubecensis.*

Iure Lubecensi donatio reciproca inter coniuges constante matrimonio valet, liberis tamen non exstantibus, et quidem de bonis acquisitis solummodo, quia in donatione bonorum hereditariorum expressus propinquorum consensus desideratur, *Ius Lubec. Lib. I. Tit. IX. Art. 4. 5.* Fieri autem debet publice coram senatu, adhibito curatore ex parte uxoris, ita tamen, ut cuilibet heredi octo solidi et quatuor nummi assignentur, *Ius Lubec. Lib. I. Tit. VI. Art. 2.* *Welch Mann oder Fraw, die da keine Kinder mit einander im Ehestand gezeuget haben, vor den Rath treten, und ihr Gut gegen einander reciproce doniren und auflassen. Ist dann die Fraw bevormündet, so ist die Ubergab krüfftig, von ihr beyderseits erworbenen Gute, doch sollen sie ihren Nächsten Erbnemen einem jetzlichen acht Schilling und vier Pfennig*

ver.



vorlassen; ibique MEVIUS. Liberis vero exstantibus nulla de iure valet donatio inter virum et uxorem durante matrimonio, nisi illi consenserint, *Ius Lubec. Lib. I. Tit. VI. Art. 1.* Weder Mann noch Weib, wann die in der Ehe sitzen, und Kinder mit einander erzeuget haben, können ihre Güter einander geben, noch schenken, daz es zu Recht kräftig sey, es vormilligen dann die Kinder davein, ibique MEVIUS. Cf. AYRER in Diff. de donationib. inter vir. et uxor. ad Lib. I. Tit. VI. Art. 1 et 2. *Iur. Lubec.*

### §. XIX.

*Nonnullarum altiarum provinciarum et urbium sancita.*

Secundum statuta Kedingensia donatio coniugum reciproca liberis non exstantibus valet, *Tit. XIII. §. 1.* sed eis §. 4. imponitur: daß sie alsdann solche unter ihnen getroffene und bewilligte Vermachung der Obrigkeit als Greven und Hauptleute zu verstehen geben. Vid. PUFENDORF. *Observat. iur. Tom. I. in Append. p. 150.* Statuta iuris Weichbildici Otterndorpiensis *Art. 14.* disponunt: Mann vnde Frume mögen einander alle ihre Güder up den Todes-Vhall auergeuenn, so se keine Kinder hebben, auer doch noch solkens vor Gerichte geschehen vnde bestediget werden. Vid. PUFENDORF. *I. c. Tom. II. in Append. p. 177.* Consentiant cum his statuta Frankenhufana *Art. 45.* Auf den Todesfall geschehen viele Gabenn, sonderlich zwieschem ehleutenn, welche die rechte reciprocas donationes ernennen, damit nubnn





inn deme auch ordentlich gebaundelt, vndt die Erben beiderseits beschuldiget werden mugenn, so setzen vndt wollemn wier, daß binsürder alle gabenn vnabeweglicher stamgüder, es sey zwischenn man vndt weibe, die gabr keine kinder, babenn, wieder auß gegenwertigenn nach voriger ehe, oder zwischenn ander personenn, nicht geldenn noch Crafft haben sollen, sie geschehe vor dem Rabte oder jm gericht. Vid. WALCHS vermischte Beyträge zu dem deutschen Rechte, 1 Tb. p. 286. Aliarum urbium statuta adhuc adferre possem, sed haec sufficiant. Regula itaque est: ubi statuta aetui certam formam aut solennitatem praescribunt, ea stricte observanda sunt. Cf. RICCI zuverlaess. Entwurf von Stadtgesetzen, Lib. II. c. 15. §. 1.

### §. XX.

*Donationes inter coniuges reciprocae cessant, ubi communio honorum universalis inter coniuges obtinet.*

Nullum donationis inter coniuges Romanae in legibus Germanorum antiquis reperitur vestigium, licet apud Gallos in usu fuisse ex CAESARE pateat *Lib. VI. c. 9. de B. G.* Donare quidem in omnibus eorum legibus dicitur maritus uxori, cui dotem i. e. dotalium per pacta dotalia promisit, ceu liquet ex lege Salica, Ripuariorum, Alemannorum, Baiuariorum et Burgundionum; neque in legibus Frisonum, Werinorum, Saxonum et Langobardorum aliquid deprehendimus, quod donationi inter virum et uxorem Romanae respon-



spondet. Status enim connubiorum apud Romanos et maiores nostros, quorum matrimonia TACITVS de M. G. c. 18. depinxit, valde differēbat, coniugibusque Germanis omnia communia fuisse constat. Quam differentiam IVST. HENN. BOEHMER in Diss. laudata tam egregie illustravit, ut fere hac in re mihi otium fecerit. At iure deinde Romano in Germania magis paulatimque radices agentis etiam inter coniuges Romanae hūc gentibus innotuere, vid. SCHILTER Exercit. 36. §. 99. et donationes reciprocae quoque ratae sunt. Cf. BOEHMER in Diss. citata §. 38. sqq. Vbi vero inter coniuges communio bonorum adhuc viget, donationes inter virum et uxorem reciprocae non in usū sunt. Ratio est, quia coniuges, inter quos communio bonorum obtinet, condominio bonorum gaudent, et aequali iure bona possident, ceu indicat paroemia iuris Germanici: *Mann und Weib sind ein Leib*, de qua vid. III. EISENHART *Grundsätze der deutschen Rechte in Sprüchwörtern*, Sect. II. n. 12. Pluribus hac de re egit HOFFMANN in Diss. *de communionis bonorum coniugalium vera natura atque principiis*. Si ergo maritus uxori, cum qua in communione bonorum universaliter vivit, aliquid donaret, nonne tunc ei rem daret, quae penes eam iam fuit? nonne eiusmodi donationem ridiculam esse diceret? Aliud vero dicendum de casu, si alter coniugum sibi partem bonorum vel fundum certum reservaverit; nam de bonis a communione exemptis coniuges sibi reciproce quid valde donare posse nullo dubio obnoxium est. Cf. LANGE von der



*der Gemeinschaft der Güter unter den deutschen Eheleuten*  
 §. 7. §. 2.

§. XXI.

*Conclusio.*

Atque haec sunt, quae pro stabilienda mea sententia de  
 Donatione inter coniuges remuneratoria absque insinuatione  
 valida se se mihi obtulerunt argumenta. Equidem me non  
 fugit, hanc materiam a me suis numeris haut absolutam, sed  
 paucis, et more disputationis, in quantumque ingenii mei exi-  
 guitas admittit, lineis esse depictam. Maiora fortasse prae-  
 stitissim, nisi tam angusto temporis termino circumscri-  
 ptus fuisset. At si modo non in totum displiciat, si  
 Themidis sacerdotes mihi non omnem assensum denegent,  
 studium meum satis superque  
 remuneraverunt.

T A N T V M.

---



Helmskdt, Diss., 1778-85

ULB Halle

3

005 356 695









1779, 1  
1557

4

DISSERTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS  
DE  
DONATIONE INTER CONIVGES  
REMVNERATORIA  
ABSQVE INSINATIONE VALIDA

QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS  
RITE CONSEQVENDIS

AD DIEM II OCTOB. MDCCLXXIX  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

IN IVLEO MAIORI

PVELICAE DISQVISITIONI SVEMITTIT

IVLIVS GEORGIVS PAVLLVS DV ROI  
BRVNOVICENSIS

SOCIETATIS DVCALIS TEVTONICAE HELMSTADIENSIS  
MEMBRVM HONORIS CAUSA ADSRIPTVM.

HELMSTADII

TYFIS VIDVAE B. P. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

